



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Alexandri Papae IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

pibus non concordantibus. Et primo quidem post depositionem Friderici papa mandauit principibus, ut imperatorem quem vellent eligerent: Anno
Calixtus
1154
quorum aliqui Fridericum sequentes, mandatum papa non curauerunt: ceteri in unum conuenientes Henricum prouinciam comitem Hassia in regem contra Fridericum eligentes, partes eius quantum potuerunt defendebant. Electus autem Henricus bellum cum Conrado habuit filio imperatoris in campis iuxta Francofordiam, & victor euadens Conradum superauit.

Annis igitur quinque nomen gerens regium nihil memoria dignum patrauit, sed obit imperii coronam minime consecutus. Anno
Calixtus
1154
Quamdiu enim vixit imperator Fridericus, per annos ferme sex preualere contra eum nec papa nec aliquis principum potuit: sed non aduertens sententiam pape, quam iniustam & fruolam dicebat, se imperatorem gesit, magnamque principum, nobilium & ciuitatum adhaerentiam habuit usque ad mortem. Intravit post depositionem sui in Italiam, & tantis malis papam subiectosque illi populos afflixit, ut pontificem vivere taderet, voluisseque se nunquam depositionem illius cogitauisse. Maxima enim partialitas populorum in Italia subsecuta est, que usque in presentem ferme diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis, durauit. Enimvero qui Romani pontificis sequebantur partes, quorum votis inditum nomen erat Guelforum, fautores imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni studio omniisque virtute persecuti & derelire penitus satagebant. Nec minore studio Guelfos Gibellini persequebantur. Hæc Trithemius præcedenti loco.



VITA ET EPISTOLÆ ALEXANDRI PAPÆ IV.

Anno
Calixtus
1154
ALEXANDER quartus, cui, teste abbate Stadeni, Rinaldi, vel, ut habet Onuphrius, Rolandi nomen fuerat, patria Anagninus, nobili comitum Signiæ familia natus, Innocentii tertii & Gregorii noni, a quo cardinalis creatus est, propinquus, ex episcopo Ostiensi & Veliterno, decimoquinto die post obitum Innocentii, electus est in thronum apostolicum & cathedram Petri, 25. Decembris, ipso die nativitatis Christi, anno salutis humanæ 1254. regnante Vvilielmo Hollandiæ comite, quem coronæ imperialis accipiendæ gratia Romanum abiturientem Frisones anno septimo regni occiderunt. Manfredum, qui sibi titulum regni Neapolitanus surpauerat, anathematizauit. Ad Venetos Philippum Fontanesium Rauennatem archiepiscopum misit, qui contra Ezelinum tyrannum prædicaret. Post aliquot tandem

obtentas victorias eo mortuo, tum demum res Syriæ Alexandro cordi esse coeperunt: quas tamen ad exitum deducere non potuit, propter diffensionem inter Venetos & Genuenses exortam, vnde grauissimum bellum secutum est. Alexander igitur tanto malo occurrere ac mederi ex paterna commiseratione desiderans, vbi sanctam Claram ordinis sancti Francisci inter diuos retulisset, omnem operam ad componendam pacem inter eos adhibuit. Verum tam graibus implicatus curis, obiit VIII. Kalendas Iunii, anno Domini 1260. cum sedisset annos sex, menses 5. dies 13. Henricus Stero in annalibus suis ait, eum Viterbii VIII. Kalendas Iunii anno 1261 defunctum esse. Corpus eius ad ecclesiam sancti Laurentii delatum est. Erga pauperes adeo propensus fuit, ut libros aliquos contra eos descriptos improbauerit. Epistolas decretales scripsit. Viros doctos maximo fauore prosecutus semper magnifecit: inter ceteros Henricum a se cardinalem Ostiensem factum. Egregia aliquod aedificia extruxit: & ut multa paucis dicam, sanguinem post obitum sui memoriam reliquit. Sedes morte eius tribus mensibus & quatuor diebus vacauit.

EPISTOLA I.

ALEXANDRI PAPÆ IV.

AD SCHOLASTICVM ARGENTINENSEM.

De noualium decimis.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Scholastico Argentinensis ecclesiae salutem & apostolicam benedictionem.

EXHIBITA nobis dilectorum filiorum prælatorum ac religiosorum & cleri Colonensis ciuitatis & dioecesis petitio continebat, quod cum aliquas terras incoltas earumdem ciuitatis & dioecesis contingit redigi ad culturam, nobiles viri comes de Monte, & Vvaleramus frater comes Iuliacensis, ac quidam alii dictarum ciuitatis & dioecesis, afferentes ad se decimas noualium huiusmodi pertinere, illas pro sua voluntatis libito occupant,

Concil. Tom. 28.

Ooo ij

& contra iustitiam dētinent occupatas. Cum itaque do-
minus in signum vniuersalis dominii sibi decimas refe-
uarit, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus,
quatenus si tibi constiterit ita esse, prædictos nobiles &
alios, quod huiusmodi decimas noualium eisdem ecclæ-
siis exhibeant, & illas ab eis permittant pacifice posside-
ri, monitione præmissa per excommunicationis in perso-
nas, & in terras eorum interdicti sententias, appellatio-
ne remota, prævia ratione compellas: non obstante si
aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommu-
nicari non possint, & terram ipsorum supponi ecclesiasti-
co interdicto, per literas apostolicas, quæ de indulto hu-
iusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem,
& constitutione de duabus diætis edita in Concilio gene-
rali: ita quod ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam
dioecesim auctoritate præsentium ad iudicium non tra-
hatur. Data Anagniæ xv. Kalendas Septembris, pontifi-
catus nostri anno primo.

EPISTOLA II.

ALEXANDRI PAPÆ IV.

AD HENRICVM CHYMENSEM EPISCOPVM.

Philippus Saltzburgensis electus, iam per decem annos
nolens ordinem presbyterii ac episcopalem suscipere
consecrationem, ab Alexandro papa deponitur, & Vi-
ricus Secovensis episcopus ei subrogatur.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Chy-
mensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.*

IN contemptum veniens Philippus, quondam Saltzbur-
gensis ecclesiæ electus nimis videtur a se timorem Do-
mini & hominum reuerentiam abiecisse, dum adhuc mu-
nitiones & castra, & quædam alia bona ipsius ecclesiæ, in
sua detinet potestate, quasi non sufficerit dictam tenuis-
se ecclesiam in suam & multorum perniciem tanto tem-
pore viduatam. Errata igitur dicti Philippi corrigi misé-
ricorditer cupientes fraternitati tuæ per apostolica scri-
pta mandamus, quatenus ipsum ex parte nostra moneas
attentius, & inducas ut prædicta omnia venerabili fratri

nostro Saltzburgenſi archiepiscopo, vel alii eius nomine, sine qualibet difficultate refignet; alioquin, cum ferro abſcindenda ſint vulnera quæ fomentorum non ſentiunt medicinam, tam eum quam alios, qui eadem eius nomine detinent, ad id per cenzuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Contra quos, ſi necelle fuerit, omnium ſuffraganeorum, ministerialium & vassallorum eiusdem ecclie auxilium inuoces, vt ſuper hiſ tibi & ipſi archiepiscopo fuerint requiſiti; ſuffraganeos ipſos ad hæc auſtoritate noſtra, ministeriales vero & vaffallos eosdem per priuationem feudorum quæ tenent ab ipta ecclie, moſitione præmiſſa, ratione prævia coarctando. Datum Vi-terbiī II. Nonas Decembris, pontificatus noſtri anno III.

E P I S T O L A III.

A L E X A N D R I P A P Æ IV.

A D A R C H I E P I S C O P U M S A L T Z B V R G E N S E M
E T S V F F R A G A N E O S.

Eos hortatur ad officium episcopale exequendum,
& abusus reformatos.

Alexander episcopus seruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus archiepifcopo Saltzburgenſi eiusque ſuffraganeis, nec non & dilectis filiis abbatis, aliisque ecclieſiarum p̄fclatis ordinariam in ſubditos obtinentibus potestatem per Saltzburgenſem prouinciam conſtitutis, tam exemptis quam non exemptis, ſalutem & apofolicaſ benedictionem.

Si vere quod dicitur, pastores ouium Christi ſumus, non impauide ferre poſſimus terribiliter intonantia noſtris ſenſibus contra pastoralis curæ negligentiam ſacrarum oracula ſcripturarum, quæ determinata domini- ci gregis in præſidentium desidiam retorquentes, mina- citer inclamat pereuntium ſanguinem de præpoſito- rum manibus exigendum. Quis noſtrum non contremi- ſcat & paueat, dicente ad pastores gregis ſui Domino per prophetam: *Disperſiſtis gregem meum; eieciftis & non* Ierem. 23. *visitafis eos: ecce ego visitabo ſuper vos uestrorum malitiam ſtudiorum?* Pauet utique ad hos increpationis intermi- nationiſque diuinæ ſermones idem ipſe prophetā, dum

O o o iii

ter. 13.

dicit: *A facie Domini, & a facie sanctorum verborum eius conturbatum est cor meum: in medio mei contremuerunt omnia offa mea.* O formidolosa speculatorum, quos populo dispensatio diuina præposuit, & periculosa conditio, si perfunctorie res agatur, si eo modo in solicitudine commissa non militent, quo summus præcipit imperator, si sibi & vniuerso gregi, cui eos Deus custodes & episcopos constituit, non attendant. His præcipue horrendum erit illud humanorum operum finale iudicium, omnibus in commune tremendum, in quo etsi vnuusquisque de proprii corporis actionibus districto sit subiiciendus examini, ut recipiat prout gessit, nobis tamen, quibus papalis cura commissa est, non sufficiet propria innocentia sine cumulo iustitiae subditorum, quando negligentis ministri pigritiam per consequens austerus iniunctæ seruitutis exactor delicta plebis impinget reatui prælatorum. Si enim qui de vnico talento sibi credito fatis fenoris non reportabit augmentum, tamquam inutilis seruus & piger iusta damnationis periculum sustinebit; quam durum putatis iudicium fiet illi, qui commissum sibi pluralem numerum viuentium talentorum non solum integrum neglexerit reddere creditori, verum etiam in illa distictione probabitur damnum Domino suo in bonis, quæ ab ipso multiplicanda suscepérat, intulisse. Propterea, fratres & filii, qui fasces pontificalis officii & ecclesiastici ministerii subeudo defixisti pro animabus creditis apud extraneum manus vestras, festinate quæsumus liberari ab illo qui supremus est auctor & iudex, nullum nobis de allegationis nitore præsidium relicturus. Discurrite, nec cessetis, ne faintamæ vestræ pro illis, quos in custodiam sub tanto vadimonia suscepistis. Excitet vos summi pastoris amor, qui nos pascendis rationalibus ouibus dedicauit. Exterreat corda vestra & corporis somnum depellat ab oculis metus periculi, eis procul dubio, qui supra greges suos vigiles non obseruat excubias, imminentis. Sed ecce lethalis incunæ sopor pastoralis vitæ vigilantiam, quod gementes dicimus, oppressisse videtur in plurimis, prout testatur nimia de plerisque regionibus clamans Christiani populi corruptela: quæ cum deberet ex sacerdotalis antidoti curari medelis, inualescit, proh dolor, ex malorum contagione,

quod procedit a clero, ita ut alicubi verum sit quod ex propheta querela testatur: *Factus est, inquiens, sicut populus sic sacerdos.* Malitia namque dierum labentium, quæ cum tempore corruptit & mores, dante quamplurimis ex impunitate audacem semper & in deteriora procluem infrenis licentia libertatem, nonnulli clerici præcipiti lubricæ voluptatis arbitrio laxas committentes habendas, post carnis suæ concupiscentiam abierunt, & relegata pene penitus a conuersatione vitæ suæ clericalis munditie & honestate, tenent etiam in conspectu populi concubinas, cum quibus impudicæ frontis irreuerentiam induentes, fœdas manus & foetidas, quas sordidis libidinosa coinquinationis fetibus immiserunt, non erubescunt in suum periculum & ruinam populi sacris ministeriis immiscere, a quibus ob publici concubinatus insaniam, quæ nulla tergiuersatione sceleris, vel secundum scita Canonum, tam quoad se quam ad alios sunt suspensi: & ne quis talium Missam audire præsumat, arctius in eorum contemptum canonicae auctoritatis constitutio interdicit. Per tales maxime nomen Domini blasphematur in terris: per tales derogatur sacramentis fidei orthodoxæ, cum vafa Domini pollutis eorum manibus profanantur. Per tales ergo perdit religionē catholicam deuotio reuerentia Christianæ: per tales decipitur populus in diuīnis, & ecclesiastica substantia dissipatur: hinc detrahitur verbo Dei, dum immundis labiis talium nuntiatur: Hinc hæretici mussitant & insultant: hinc tyranni sœuiunt: hinc perfidi persequuntur: hinc grassantur audacius in Christi patrimonio sacrilegi exactores: a quibus, proh pudor, ob huiusmodi carnes putridas, quas disciplinalis mucro non resecat, sicut decet, sincerum catholicæ matris corpus in ostentum dicitur & contemptum. Profecto patres qui huiusmodi filios sub dissimulationis conniuientia fouent impune, etiamsi cum Heli sacerdote sunt boni, forsitan in seipso merito pro consimilis negligentiæ malo, repentina patris interitus ruina deiiceret de sella retrorsum. Ecclesiæ quoque principes, qui zelo Phinees ardenter non feruntur in tales, sine causa videntur portare gladium potestatis, quem ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, desuper acceperunt. Nos igitur cupientes tantum

malum de medio ecclesiæ, tantumque scandalum ab oculis fidelium remouere, vniuersitatem vestram rogamus, monemus & hortamur, auctoritate nostra vobis per apostolica scripta in virtute iniungentes, ac vos singulos sub obtestatione tam iudicii singularis, quo quisque citatur ad Dominum de corpore mortis huius, quam iudicij generalis, in quo vniuersi stabimus ante tribunal æterni iudicis, obsecrantes quatenus in vobis metipsis curetis ostendere, quam pie ad Dominum, quam sancte ad se ipsos, quam iuste ad proximos oporteat ceteros in Dei ecclesia conuersari. Totius namque familiæ status & ordo vacillat, si quod requiritur in membris, in eorum capite non habetur: & in eius ore aduersus peccantes necesse est redargutionis obiurgatio conticescat, qui admittere cognoscitur arguenda. Quia enim fronte fieri quis poterit morbi curator, dum languore consimili detinetur; aut factator virtutum, dum factator ostenditur vitiorum? Ad inquirendos autem ac puniendos subditorum vestrorum excessus, & maxime incontinentiæ foeditates in clericis, præsertim concubinariis manifestis, qui odorem foetere faciunt domus Dei, tanto feruentius assurgatis, quanto damnabilius præteriretis eorum contagia incorrecta. Verum, vt aduersus concubinarios huiusmodi officii nostri debitum tam auctoritate nostra quam vestra liberius exequi valeatis, nos prædecessorum nostrorum attentes vestigia & plenius exprimentes, super hoc processus vestros per appellationis obiectum volumus aliquatenus impediri. Si vero huiusmodi concubinarii, quorum culpas contigerit canonica districione feriri, super appellatione aut absolutione vel restitutione sua literas apostolicas reportarint, illas, nisi forsitan in eis appellationis aut excommunicationis seu amotionis suæ huiusmodi causam expresserint manifeste, decernimus nullius esse momenti, sed, eis vel processibus per eas habitis nequam obstantibus, censura vestrae animaduersionis in tales inuiolabilem obtineat firmitatem. Preces autem, monita, mandata & præcepta nostra super his taliter implere curetis, quod conuerstationis honestas in clero, & devotionis antiquæ sinceritas in populo, per solicitudinis vestrae diligentiam reformatur. Cumque Princeps palto-

rum

rum aduenerit ab unoquoque nostrum fructum iniuncti negotii quæsiturus, coram ipso appareatis intrepidi, & dignam sibi possitis villicationis vestrae reddere rationem. Volumus autem atque præcipimus, vt tu, frater archiepiscopi, suffraganeis tuis & aliis prælatiis tuae prouinciae has literas sine moræ dispendio facias præsentari, vt super præmissis præceptum nostrum exacta diligentia exequantur.

Datum Idibus Februarii, pontificatus nostri anno v.

VITA ET EPISTOLÆ

VRBANI PAPÆ IV.

ANNO
CHRISTI
1261. **V**RBANVS quartus, cui Iacobi Pantaleonis nomen fuerat, Trecis in Gallia oriundus, patriarcha Hierosolymitanus, Viterbii in Tuscia, ubi tunc propter tyrannidem Manfredi regis Siciliæ & potentiam Gibellinorum ecclesiam persequentium Romana curia erat, diuque permanxit, absens electus est pontifex anno Redemptoris 1261. regnante Richardo Cornubiæ comite, & regis Anglia fratre. Ut securior a maleuolorum insidiis esset, Orvietum se recepit: cumque nulla ratione a Manfredi potentia & tyrannide se defendere posset, in extrema rerum calamitate definiuit, ut auxiliares copiæ, quæ ut in Asiam traiicerentur delectæ erant, e Galliis aduocarentur: quæ, accepta a pontifice benedictione, omnem Manfredi exercitum ex Saracenis conflatum deleuerunt. Eo tempore Romani debitam obedientiam pontifici nullam præstabant, verum magistratum suo genio & voluptati deseruientem pro libito sibi deligebant. Quem sui contemptum Vrbanus ex eo procedere videns, quod omnem suam auctoritatem a Manfredi iniquitate & iuriis depressam & obscuratam viderent, Concilio Orvieti habito conclusum est ut Carolus Andegauia comes, Franciæ regis frater, in Italiam cum titulo regni Neapolitani aduocaretur. Et quamquam ad eam legationem perficiendam cardinalis missus esset, nihil tamen eius rei, nisi subsequentis pontificis tempore, executionem suam fortitum est. Hoc unum post hominum memoriam

Concil. Tom. 28.

Ppp